

Heinrich Rahn

Henricus Rahne, I. U. D. & Prof. h. t. Decanus Facultatis Iuridicae, In Academia Rostochiensi ... Ad Dissertationem Inauguralem Quam Balthasar Clatten, Cellensis, De Quaestionibus habebit Ad diem VIII. instantis Mensis Iulii, Magnificum Dn. Rectorem, omnes omnium ordinum Cives Academicos, Literatos, & literarum amantes invitat

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766617769>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



48
HENRICUS RAHNE,

J. U. D. & Profess.

h. t. DECANUS

Facultatis Juridicæ,

In Academia Rostochiensi,

suò, & Dominorum Collegarum nomine

AD

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

QUAM

BALTHASAR CLATTEN,

CELLENSIS,

De Quæstionibus

habebit.


Ad diem VIII. instantis Mensis Julij,

Magnificum Dn. RECTOREM,

omnes omnium ordinum Cives Aca-

demicos, Literatos, & literarum

amantes invitatur.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LII.

MOris est antiqui, ut inaugura-
 les Disputationes præfatione aliquâ pu-
 blicâ exornentur; & commendetur.
 cum Dominus Candidatus, tum mate-
 ria, de qua disputaturus est. Utrumq; hîc supervaca-
 neum arbitramur, licet animus sit quædam præfari,
 Dominus enim Candidatus, qui est **BALTHA-
 SAR CLATTEN**, Cellæ in Ducatu Lu-
 næburgensi natus, satis superque seipsum com-
 mendare potest, nec nostra commendatione,
 & laude indiget. At ais fortean, propria laus
 sordet, &, quæ de nobis prædicamus, ab ore nostro
 fiunt sordida. Verum non dicimus illum ostentare se,
 & jactare insolentiùs, sed eruditione, & vitæ honesta-
 te animos hominum sibi conciliare, & omnium pun-
 cta mereri. Laus vera in virtute posita est, & *fama
 extendere factis, Est virtutis opus.* Rectè ergo, tanquam
 vitæ, & scientiæ suæ testimonium, **DOCTORIS** titu-
 lum, & honorem ambit, & adipiscitur. Disputatione
 quod attinet, illa est de **QUÆSTIONIBUS**, quæ vul-
 gò tortura vocantur, & tam antiquis, quàm novis legi-
 bus nituntur. Ardua sanè res, ac spinosa, & propterea
 nunquam usurpanda, nisi sit perpetratum scelus ali-
 quod atrox, nisi deficiant aliæ probationes, & adsint
 certa, sufficientia, jureq; approbata indicia. Unde &
 hanc meretur appellationem, quòd audiat ultimum.
 eruen-



42
eruendæ veritatis absconditæ remedium, in quo faciliè hallucinari potest Judex, si curam non habeat æquitatis, & charitatis Christianæ. Sed his relictis, revertimur ad id, quod nuper simili, quâ nunc scribendi operâ perfungentes pertexere haut potuimus. Videlicet lubet iterum tangere ulcus illud Judiciorum, quod ex perverso procedendi modo natum, pus, & virus suum in omnes ferè Reipub. partes diffundit. Neq; in initio non possumus non conqueri; nullam Legem tam benè, & tam justè fuisse latam, quin ei statim fraus sit adstructa, & in abusum quandoq; tracta. Quasi oporteat semper boni prætextu quod pessimum est, nobis obrepere, & viventibus quoq; fucum facere. Id quod in processu judiciario usu venit, qui cum utilissimus sit, & nil, nisi ordo legitimis cancellis circumscriptus, non potuit malitia humana majus detrimentum excitare, quàm dispositionem illam perturbare, & convellere. Cui rei & avaritia, & ambitio, & æmulatio, & calumniandi pruritus præter ea, quæ dicto locò enarravimus, & ortum dederunt olim, & etiamnum fomentum supeditant. Sunt enim, qui non eâ causâ præcipuè, ut profint, legum studia sectantur, sed ut earû prætextu lucrû quærant, & jus aliquando venale habeant. Atq; hi ipsi quando in Advocatorum numerum recipiuntur, malo isti masculè frigidâ suffundunt: eò deteriores, quòd propter sordes illas, & quæstum clientibus, interdum nullo etiam juris colore nitentibus, victo-

riam confidenter promittunt, impelluntq; ad face-
sendum proximo negotium; quod facile possent a-
vertere, si modò clienti imbecillitatem causæ indica-
rent, nec eum ultrò vana spe incitando deciperent,
Et sanè Harpyiæ istæ sicut in eo toti sunt, ut aurei
fiant, & improbo quæstu saginentur, ita omnem,
quando jam ad tribunal causa est deducta, movent
lapidem, ut technis, procrastinationib⁹, dilationib⁹,
tergiversationibus circumducatur, ac suspendatur,
donec cliens eò redigatur, unde tanquam ex Scylla, &
Charybdi sine capitali discrimine evadere vix queat,
& si tandem eluctetur, nihil reportet, quàm quòd di-
dicerit, serò sapere Phryges, atq; deridiculo sit omni-
bus. Sanè tolerabile quidem esset, si illi duntaxat,
qui neq; juris, neq; religionis ullum percepissent gu-
stum, fori nundinationes exercerent, & cives ærulca-
rent, & non etiam, qui civilis disciplinæ scientiam sibi
vendicant, eodem vitio laborarent. De quibus gra-
vissimè *Budæus* singulare illud Galliæ decus, in Epist.
ad *Lupsetum* ita conqueritur: *Homines cautionum pru-*
dentes, vel captionum potiùs, & inconsultorum civium
aucupes, & formularum, id est, excipularum opifices, ac pa-
ctilis juris callentissimi, litium concinnatores, jurisq; con-
troversi, perversi, in versi consulti esse justitia, æquitatisq;
existimantur, soli q; digni, qui de æquo bonoq; responsitent.
Hi verò hòc pejores sunt, quò subtilius imposturas
suas palliare, & artificiosius ex nigro candidum face-
re nòrunt, non modò litigatoribus, verùm & judici-
bus

48

bus graves suis ambagibûs, & involucris verborum,
quæ tam implicata sunt, & contorta, ut non causæ
explicationem dixeris sophisticam illam, sed Sphin-
gis ænigmata, tam dubia, ut, si putes te illa, esse affecu-
tum, nondum tutum sit, ut tibi fidas, propter gry-
phos, & amphibologias, quibûs scatent, quæq; eo fine
adhibentur, ut & adversari^o, & judex circumveniatur,
atq; causa, præsertim si aurum in fundo habet, ad Neo-
menias Latinas, vel Calendas Græcas protrahatur.
Accedit, quòd inter ejusmodi Causidicos auro inhi-
antes reperiantur, qui quando causam non malam le-
gibus utcunq; detortis contra juris, & æquitatis ratio-
nem, imò contra conscientiam, quæsito coloris fuce
obtinuerunt, suam ipsorum impudentiam propala-
re non erubescunt: verùm victoriam suam apud no-
tos, & ignotos jactant, & extollunt, utcunq; elusum sit
judiciû: quasi res sit benè gesta, & soli illi sint, qui cor-
nicum oculos configere, nodumq; in scirpo invenire
queant. Ut ita simplices in sui admirationem rapiant,
clientumq; multitudinè sibi comparent, plurimumq;
sub innoxii juris prætextu lucrentur, immemores, lu-
crum non esse, quod cû bonæ mentis jactura acquirat-
ur. At quomodo justitiæ vindex erit, qui ipse est inju-
stus? Quomodo famam, honoremq; clientis defen-
dere sufficiet, qui suum prodigit? Videmus itaq;, quòd
impuritatibus judicialis maxima pars dependeat ab ava-
ritia, & imposturis quorundam hominum maleferia-
torum, qui serunt lites, ut nummos metant. Quòd

A 3


si por-

si porrò huic malo addas æmulationem, nihil est her-
cle, quod ad iniquitatis officinam requiri possit.
Naturâ enim ita comparatum est, ut qui eandem ar-
tem sectantur, sibi invicem æmulari non desistant.
Illudq; contagium eò latius serpit, quò vel elatiore est,
vel doctiorem se putat, qui eò agitur. Hinc non-
nulli pertinaciâ, non veritate herbam consequi sata-
gunt; neq; vel latum unguem cedunt adversario, li-
cèt se legibus, argumentis, & instrumentis superatos
intelligant. Sed nescimus, quæ subsidia, quot ex-
plicationes, quot logomachias, quot cautelarum fi-
guras adsuant, ut causæ iniquitatem tegant, & victo-
riam reportent, & mercedem, quæ prima, & ultima,
accipiant. Nam verissimum est: neminem gratuito
esse malum. Honesta, dictante naturâ, omnibus
placent; sed illecebris commodi, præmiorumq; mor-
tales corrumpuntur. Si emolumentum dulcedinem
seponas, injustam quisq; causam detestabitur. Nisi
conducibilius existimaretur, litem protrahere, ac
diffusis, licèt inutilibus disputationibus lautius præ-
mium captare, nemo esset, qui non mallet rectâ viâ
incedere. Legitimæ quidem quantitatis salarium
nec jura, nec ratio ipsa denegat. *Neq; enim video,*
inquit Fabius, quæ justior acquirendi ratio, quàm ex ho-
nestissimo labore. Fabius, de quibus optimè meruerint, quibusq;
si nihil invicem præstent, indigni fuerint defensione. Quod
quidem non justum modò: sed necessarium etiam
est, cum hæc opera, tempusq; omne alienis negotiis
datum

datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Hinc Neronem, Suetonius testatur, constituisse, ut litigatores pro patrociniiis certam, justamq; mercedem darent. Verum libertas illa accipiendi salarium non abeat in turpissimum modum, lucrandi, vel abominandam negotiationem. Nam qui *lucro, pecuniaq; capiuntur, veluti abjecti, atq; degeneres inter vilissimos numerabuntur*, ajunt Impp. Ejus gratia, providentia legum quemcunq; iniri inter Advocatum, & Clientem contractum vetuit: quia is praesumitur in aequa illi & iniqua consensurus. Utq; eò magis refrænaretur habèdi cupiditas & venalis levitas Constantinus Imp. severam constituit legem Advocatis, qui (sunt ipsius Imp. verba) existimationi suæ immensa, atq; illicita compendia praefereunt, atq; sub nomine honorariorum ex ipsis negotiis, quæ tuenda susceperunt, emolumenta certæ partis cum litigatoris damno & deprædatione sibi poscunt. Quemadmodum autem iniquum est, Patronum participare de utilitate victoriæ, & suos labores nimis aestimare; sic & clientis furor est, pro codicum scriptorum modo, & foliorum numero rationem inire salarii. Quid hoc aliud est, quàm ultro instigare loquacitatem ad permiscendum omnia, tragediasq; excitandas in nugis? Quid aliud, quàm præmiis provocare ad diffundendam causam, protrahendumq; jurgium? Adeone igitur vel nihil ingenii, vel doctrinæ in Advocatis est, quod censeatur, ut saltem numerari versus, & paginas, non ponderari oporteat? Id verò perinde est, ac si picturæ pretium definiat modus, & spatia oblatarum tabularum. Sed de his plus satis; restat Calumniandi libido, quæ modò tam frequens est apud causarum Patronos, ut vix amplius vitium repetetur. Audiant hujusmodi cavillatores Impp. sancitum: *Advocati ita praebeant patrocinia jurgantibus, ut non ultra, quàm litium poscit utilitas in licentiam convitiandi, & maledicendi temeritatem prorumpant, agant quod causa desiderat, temperent se ab injuria. Nam si quis adeò procax fuerit, ut non ratione, sed probris patet esse certandum, opinionis suæ diminutionem patietur. Nec enim consue-*

ria commodanda est, ut quicumque negotio delecto, in adversarii sui contumeliam, aut palam pergat, aut subdole. Neq; immerito Imppe hoc crimen insectantur, & infamiâ puniunt, cum Advocatû in rabulam, latratoremq; convertat, & præclarissimam artem in caninam facundiam detorqueat Verum enimverò susq; deq; habendi isti, quos hætenus notavimus, Causarum Patroni, si privatis parietibus ipsorum vel infania, vel versutia, vel improbitas, vel imposturæ includerentur, & non in commune civilis, ac salutaris scientiæ dispendium erumperent. Scilicet unus ferme fori abusus facit, ut non modò Jurisprudencia, sed omnes quoq; qui eam candidè sectantur, & hominum utilitati ritè consultum cupiunt, vulgò malè audiant, & quod per abusum peccatur, in ipsos quotidie redundet; adeò, ut Respub. eò felicior dicatur, quò pauciores Jurisperiti in ea foveantur. Cùm tamen mali à probis distinguendi essent, & rabulæ à veris Advocatis, virtus à vitio separanda, nec artis abusus ipsi arti adscribendus. Nam bonorum virorum usus, qui justitiæ sunt vindices, qui utile cum honesto conjungunt, qui patriam, cives, viduas, pupillos tuentur, qui patrociniû suum indigentibus eo, idq; implorantib' justo contenti salario impertiunt, in Rebusp. semper est necessarius, & utilis. Inter eos ut esse possit noster Candidatus BALTHASAR CLATTEN aliquot annos hîc, & alibi in studio Juris ac honestatis consumpsit. Tu ergo, Magnifice Dn. Rector, & Vos Dn. Professores, Doctores, Licentiati, Ecclesiastæ, Magistri, Studiosi, Eruditi & eruditionis amantes venite: venite ad diem, quam harum pagellarum prima ostendit, & tum ipsi explorete, tum benigne auscultate alios explorantes, quid valeant humeri, quid ferre recusent pro honore Doctorali certantis, & disputantis. Magnam illà benevolentia tam à nobis, quam à Dn. Candidato inibitis gratiam, & nec ille, nec nos commitemus unquam, ut turpis ingrati animi nota nobis inuri queat. P. P. & sigillo nostræ Facultatis munitum, Rostochl die XXVII. Junii, Anno Christi clo lxx LII.

48





the scale towards document

quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo cõ-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Græcorum
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas
 tẽ impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniæ
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-
 pœnam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publicè jactaverat, quem postea
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata à *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personã sua pla-
 en suum mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quæ notissimum est illud Plau-
 ptã forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 incubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

